DE NOVA SPECIE ANGINAE GANGRAENOSAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Carolus Ludovicus Ferdinandus Buettner
SILESIUS.

Opponentibus:
A. WAESCH, med. et chir. Dr.
W. FISCHER, med. et chir. Cand.
C. BUESCHER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
Typis Fratrum Schlesinger.

VIRO

AMPLISSIMO, ORNATISSIMO

J. J. EBERS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRAEFECTO NOSOCOMIO OMNIUM SACRORUM VRATISLAVIENSI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA EQUITI,

BONARUM ARTIUM AMANTISSIMO AC PERITISSIMO

BENEFICIORUM IN SE COLLATORUM SINGULARIUM

MEMOR

VENERATIONIS CARITATISQUE SIGNUM

HOC OPUSCULUM INAUGURALE MEDICUM

D. D. D.

AUCTOR.

In nosocomio militari Monasteriensi munere chirurgi militaris inferioris fungenti mihi occasio oblata est, casum singularem anginae gangraenosae observandi, qui ab historiis hujus morbi adhuc vulgatis tantopere abhorruit, ut, qui in medium proferetur, dignus mihi videretur. Aegrotus enim, cujus historiam infra fusius enarrabo, modica, ut videbatur, angina affectus, subito praeter omnium opinionem summa anxietate, vehementissima dyspnoea, deliriis ferocibus correptus, cum jam e periculo evasisse putaretur, novo insultu suffocatus est. Sectio cadaveris nullam fere affectionem faucium et modicam tantummodo laryngis atque tracheae, mortem tam subitaneam minime adducentem, sed mirificam destructionem telae cellulosae intermuscularis ad collum, in massam gangraenosam partim induratam, partim ichorosam mutatae, et effusiones purulentas in saccum pleurae, una cum infiltrationibus sanguinolentis pulmonum praebuit.

Cum vero de illo morbo dissertatione inaugurali hac mea agere statuerem, omnes, qui mihi praesto erant, libros consului, num forsan alicubi ejus generis morbum descriptum invenirem. Sed omne fere oleum et operam perdidi usque dum, de eventu bono jam desperans, ad virum illustrissimum Hecker, cui gratias quam maximas habeo, me converti, qui me edocuit novis-

simis temporibus talem morbum a quibusdam medicis Wurtem bergicis vario nomine descriptum esse. Summa cum laetiti illorum scripta evolvens, aegrotum meum eodem, quem illi vi peritissimi memoriae prodiderint, morbo laborasse intellexi Colligens nunc singulas aegrotantium historias, decursum morb adumbrare studui, quem, angina gangraenosa temporum pristino rum breviter attacta, et postremo singulis morbi historiis ad jectis, dissertatione mea in lucem edere ausus sum. Quods vero rem tam arduam, neque adhuc satis illustratam, haud apt tractaverim, neque satisfecerim, indulgeatis, lectores benevol tironi in re medica mihi vos etiam atque etiam rogo.

Epidemiae anginae gangraenosae.

Jam primo saeculo post Christum natum epidemia angina gangraenosae Aegyptum et Syriam devastavit, quem morbun plerumque ulcera Aegyptiaca et Syriaca nominatum, Aretaeus his verbis descripsit: „In collum etiam phlegmone erumpit: atq isti haud ita multis diebus post phlegmonem, febribus, foeto inediaque consumpti intereunt. At si in pectus per arteria id malum invadit, illo eodem die strangulat; pulmo enim et c neque talem odoris foeditatem neque ulcera, neque sanios humores sustinent: sed tussis spirandique difficultas enascitur

Quibus verbis distinctam certamque notionem subjicere r profecto est difficilis, quapropter morbum meum cum ill quem Aretaeus prodidit, comparare minime ausim.

Ab hoc tempore usque ad magnas sexti saeculi epidemi decimi nullum similem morbum commemoraverunt scriptores.

Anno MDXCVIII in Hispania 1) gravissima epidemia, vul Garrotillo nominata, ex pesti exorta est; quae per longum te

---

1) Aretaeus Liber I. Cap. IX.

2) Hecker's Geschichte der neueren Medizin. Berlin 18 p. 242 u. 243.

pus locis variis saeviit. Non solum tonsillas et palatum, sed etiam cavum nasi, oesophagum cum ventriculo ipsamque tracheam et pulmones corripuit; saepius exanthemate rubro, aut critico, aut symptomatico, in vicinioribus seu remotioribus partibus comitata erat. Primum intumuerunt uvula et tonsillae, colore intense rubro, maculis albescentibus, paulo post in fuscas et nigrescentes escharas mutatis, obtectae; aegroti spiritus odorem foetidissimum sparsit; sanies effluens acerrima partes vicinas inflammavit et mortificavit; glandulae salivales intumuerunt, cutis eas obtegens rubuit; vox rauca, respiratio difficilis, anhelosa, deglutitio minus impedita; febris aut simul cum inflammatione exorta est, aut morbo colli supervenit, aut per totum morbi decursum defuit. Plurimi aegroti perierunt, die quarto vel septimo suffocati; alii, morbo quidem feliciter superato, hujus tamen sequelis succubuerunt, pauci tantummodo servabantur. — Ex enarratione hujus morbi satis elucet, morbum nostrum longe alium esse; in morbo Hispanico gangraena membranae mucosae faucium partiumque vicinarum signum peculiare exhibuit, in nostro morbo illam omnino desideramus.

Eodemque modo epidemia anginae malignae, quae ab anno MDCXVIII Italiam littoraque maris Mediterranei ad orientem spectantia invasit, judicanda est. Severinus 1) hanc pestilentiam, quam ipse observavit, eum morbum, quem Aretaeus quondam descripsit, agnovit, et eadem fere symptomata, quae in epidemiis Hispanicis relata invenimus, nobis tradidit. E sectione cadaveris unius, quam enarrationi adjecit, etiam elucet, membranam internam laryngis et tracheae massa solida pituitosa obtectam se invenisse.

Epidemiae Americae 2) anno MDCCXXXV exortae similia symptomata, qualia in Europa, praebuerunt, et cum nostro morbo

1) Hecker l. c. p. 244—247.
2) Hecker l. c. p. 247—252.

conferri non possunt. Signis gastricis non praecedentibus, plerumque miliariis, quorum largior eruptio decursum meliorem effecit, conjunctae erant. In nonnullis ulcera serpentia circa aures conspiciebantur. Non raro morbus sine ulla febre evasit, sed in destructiones sphacelosas inclinavit, ut vulnera vel minutissima cutis gangraena afficerentur. Annis sequentibus proclivitas in gangraenam imminuta est, morbus magis naturam inflammatoriam accepit 1) et anginae trachealis, saepius cum exsudationibus membranaceis conjuntae, formam induit.

Etiam epidemiae Anglicanae 2), quarum prima vestigia anno MDCCXXXIX apparuerunt, comparationem cum nostro morbo non admittunt. Ut refert Fothergill, qui inflammationem tracheae non agnovit, morbus, a signis gastricis orsus, saepius una cum exanthemate rosaceo aut pustuloso, plerumque leniente, nullaque desquamatione terminato, in universum decursum mitiorem quam epidemiae Americae, habuit, et saepenumero occurrerunt aegroti, quorum angina fere benigna nominari potuit. — Joan. Starr morbum multo graviorem, semper fere tracheae inflammatione, aegros suffocante, comitatum descripsit; praeterea interdum pustulis gangraenosis ulcerationes corrumpentes etiam sine angina exortae sunt; petechiae non raro accesserunt — Huxhamius 3) in sua de angina maligna dissertatione haec enarrat: „quam levis vero morbus interdiu appareret, noctu tamen symptomata valde increscebant, et habitus multo magis augebatur febrilis. Fauces, ita pergit in enarratone, admodum subito monstrabant ruborem summe floridum, vel potius colorem clare cremosinum, valde nitentem et splendentem, atque plerumque fere in uvula, tonsillis velo palatino et posteriori

1) Hecker l. c. p. 203.
2) Hecker l. c. p. 253—257.
3) Huxhami opera physico-medica, curante Reichel Lips. 1773. Tom. III. p. 101 etc.

pharyngis parte variae albidae vel cinereae hinc illincque dispersae apparebant maculae, quae saepe subito augebantur et cito unam aut utrasque obtegebant tonsillas, uvulam caeteraque: quibus tandem crusta ulcerum superficialium (quae nihilominus nonnunquam satis alte partes exedebant) effingebatur. Omnium aegrotantium spiritus valde erat nauseosus, quorundam vero inprimis tempore criseos instantis intollerabiliter foetens, quidam circa quartum aut quintum diem magnam fotentis purulenti muci nonnunquam sanguine tincti copiam exscreabant, et nonnunquam materia prorsus livida atque detestandi erat odoris. Simili ratione naribus quorundam valde inflammatis et excoriatis continuo destillabat acerrimus ichor, aut materia saniosa, adeo acris, ut non solum labia, genas et manus infantum hoc morbo laborantium, sed quoque digitos et brachia ipsarum nutricum istis inservientium corroderet. Interdum quosdam satis facile deglutientes summa cum admiratione perspexi, quamquam tonsillarum et faucium tumor, muci tenacis quantitas, et sonus stridens erat terribilis. Saepius comitata erat exanthemate, quod desquamatio secuta est."

Epidemia Batavica 1) ab anno MDCCXLVI—LXX saeviens, praecipue inflammatione tracheae lethali, multorum aegrotorum tonsillas tantummodo et palatum corripiens minus funesta erat.

Magis vero ad eum, quem descripturus sum, morbum referenda mihi quidem videtur epidemia Helvetica 2) illa, quae anno MDCCLII evasit, et a Langhans descripta est. Morbus quolibet diei tempore homines subito invasit; magna lassitudine, vehementi, saepius per nonnullas horas perdurante frigore, sensu tensionis pone aures et secundum cursum musculi ster-

---

1) Hecker l. c. p. 203.
2) Hecker l. c. p. 257—264.

nocteidomastoidei ad pectus aegroti leves dolores in deglutiendo senserunt; die secundo tonsillae vix inflammatae, non dolentes, modica aut nulla febre adjuncta, intumuerunt; atque etiam diebus sequentibus maximis destructionibus febris vix acrior observari potuit. Simul uvula et pharynx crassa sordide albescente membrana, sub qua liquor acris et urens latuit, obducta est; bullae magnae flavescentes, eodem humore repletae, interdum palatum totum obsidentes, et viam respirationis ita coarctantes, ut propter imminentem suffocationem aperiendae essent, variis in locis oris apparuerunt. Glandulae submaxillares tumuerunt, et apud nonnullos die octavo vel decimo in ulcerationem devastantem, fere adspectum cancri aperti praebentem, transierunt. In plurimis hae ulcerationes, plerumque exitum meliorem praeparantes, non observatae sunt, durities et intumescentia colli usque ad mortem, die quinto vel decimo quarto intrantem, perseverarunt, tunc vero omnis intumescentia evanuit, membrana posteriores partes oris obducens crassior facta est, et amota superficiem cruentam reliquit; pulsu nunc debili et inaequali, aegroti, pectore valde oppresso, per tussim pus et sanguinem ejecerunt, et quidem sine doloribus, praecipue sine ulla deglutitionis difficultate, multo respirationis stridore mortui sunt. Adnotandum est, nonnullos aegrotos sine ulla febre, sine omni perturbatione sensus communis, optima ciborum appetentia, nulla dysphagia, ne bullis quidem ichorosis affecta usque ad mortem, subito maxima cum anxietate sensuque strangulationis intrantem, ambulasse. In magno aegrotantium numero vero nullus morbus colli observatus est, bullae et ulcerationes supra descriptae aliis locis, ut in fovea axillari, in inguine, in cruribus aut brachiis, in labiis ipsisque genitalibus exstiterunt. Quum bullis exsiccantibus metastases partes internas aggrederentur, subito vomitu et pectoris affectionibus gravioribus mors incidit; cum vero exulcerationes externae

apparerent, semper periculum mortis minus imminebat. — Dolendum vero est, quod historiis proditis nullae cadaverum sectiones adjectae sunt, nam re vera morbus est peculiaris, valde ab epidemis supra dictis abhorret, et a nostro morbo haud omnino alienus videtur; sed cum ad rem tam difficilem vires tironis non satis possint, rem commemorasse sufficiat.

Epidemiae in Gallia 1), saeculo decimo octavo vigentes a variis scriptoribus varie descriptae sunt. Saepenumero, ut angina a Fothergillo descripta, cum exanthemate conjuncta est; epidemia Parisiensis nullum exanthema exhibuit, sed inflammatio tracheae et pulmonum saepius exitum lethalem adduxit. Sensim tracheitis et frequentius observari, et in anginam membranaceam transire coepit.

In Germania 2) et in regionibus ad orientem spectantibus nulla epidemia anginae gangraenosae observata est.

In Suecia 3) vero apparuit anno MDCCLV. Mors semper devastationibus gangraenosis stipata erat, in aegrotis vero, qui evaserunt, nonnisi crassae illae albescentes maculae conspiciebantur. Paulo post Bergius anno MDCCLXVII Holmiae epidemiam, affectionibus inflammatoriis, magna quidem, sed non dolorifica intumescentia partium pharyngis, deglutitione non impedita, observavit. Sectio cadaveris unius inflammationem tracheae cum exsudatione membranacea demonstravit. Atque etiam hac in terra paulatim signa putredinis evanuerunt, morbus magis sthenicus factus plerumque cum exsudationibus membranaceis in trachea exstitit.

Quamquam nonnullae epidemiae enarratae, praecipue vero ea, quae Helvetiam devastavit, similitudinem quandam cum nostro morbo exhibent, tamen aut difficile aut omnino non fieri

---

1) Hecker l. c. p. 264—269.
2) Hecker l. c. p. 259.
3) Hecker l. c. p. 270.

potest, ut utrosque eadem natura fuisse demonstretur. Utut vero res se habet, morbum nostrum illis enarrationibus non comprehensum neque descriptum esse, certum est.

Decursus morbi.

Nulla aut modica tantum febre praegressa, in regione submaxillari, parotidea aut laryngea tumor durus, vix dolens, nec calidus, nec rubens emergit, aegrotis plerumque tam exiguas molestias movens, ut ambulent, nullumque auxilium ab arte medica petant. Quamquam enim legimus, in aegro decimo sexto morbum cum febre rheumatica ortum, in duodecimo dothinenteritidem, et in tredecimo febrem gastricam secutam esse; tamen illos morbos praecedentes ad anginam, de qua agimus, provocandam non necessarios esse, certum est, praesertim cum multa exstent exempla hominum, sine ullis molestiis febrilibus morbo infestatorum. Saepius alienatio sensus communis, magna lassitudo et dolores rheumatici morbo antecedentes, etiam naturae aegritudinis magis convenientes, observata sunt. Diebus proximis tumor majorem ambitum occupat, et deglutitioni, locutioni, motuique maxillae inferioris impedimento esse coepit. Aegroti dolorem modicum, obtusum, prementem, aptissime doloribus in parulidibus comparandum 1) et magnam copiam pituitae ductilis in faucibus conqueruntur. Durities tumoris semper est magna ad ligni aut lapidis similitudinem, et saepius usque ad mortem perdurat. Cum vero tumor massam pultiformem et fluidam contineat, quomodo illa durities fieri possit, re vera admirandum est. Memini hic parulidum, quae, quamquam saepe majorem puris copiam continent, in superficie externa fere nunquam sensum fluctuationis praebent, sed tumores du-

1) Leube. Medizinisches Correspondenz Blatt des Würtembergischen ärztlichen Vereins. B. VI. N. 22.

rissimi apparent. Hanc duritiem non ab eo, quod continetur, sed a partibus, quae id continent, pendere posse, certum est. Inter cutem sedemque puris hic positum est proprium genus musculorum, scilicet musculi cutanei, qui inflammatione correpti hanc duritiem adipiscuntur, sensumque fluctuationis cohibent. In collo durities eodem modo explicari potest, nam etiam hic musculum cutaneum, latissimum colli, invenimus, qui inflammatus et induratus hanc duritiem progignere valet.

Secundum locum, quem tumor occupavit, variae molestiae oriuntur. In regione submaxillari tumor semper formam globosam aemulatur, quod mihi ex ambobus fasciis collaribus, quae inter os hyoideum et maxillam inferiorem extensae musculos hujus regionis superficiales et profundos subducunt, emanare videtur. Semper etiam hic tumor in ore sub lingua intense ruber, durus, annulo crasso, duro, maxillae inferiori apposito, circumcinctus videri et tangi potest. Ligua ex situ ad fauces pressa non commode protendi potest, locutio, et praecipue ii soni, qui parte posteriore linguae formantur 1), inhibentur; deglutitio non amplius bene procedit, quamquam aegroti dolores vehementiores non conqueruntur, tamen impedimentum quoddam difficile superatu in collo sentiunt. Tumore regionem parotideam insidente, eaedem fere molestiae existunt, lingua vero non ad pharyngem, sed ad latus premitur. Cum vero intumescentia in regione laryngea appareat, formam globosam non imitatur, sed semper faciem planam, duram praebet. In ore sub lingua nec tumor, nec annulus, quae alii 2) signa peculiaria nominaverunt, discerni possunt, ut ex aegroto duodecimo et decimo septimo

---

1) eodem loco.
2) v. Ludwig Correspondenz-Blatt des Würtembergischen ärztlichen Vereins. Bd. VI, N. 4.
Leube l. c. Bd. VI, N. 22.
Heyfelder, Studien aus dem Gebiete der Heilkunde p. 244.

satis elucet. Aegrotus etiam initio melius deglutire, pronuntiare osque aperire valet, ita, ut illa species ceteris mitior videatur, quamvis re vera sit funestissima. Quemcunque locum vero morbus occupavit, semper, id est signum maxime proprium, quo ab omnibus fere anginis, quae similem decursum habent, bene discerni potest, neque in uvula, neque tonsillis, neque pharynge signa vehementioris inflammationis apparent, et, cum etiam plerumque nulla tussis vehementior exsistat, laryngem et tracheam non valde affectam esse, concludendum est. Atque etiam glandulae salivales et collares in hoc morbo plerumque non aegrotant, quamquam in aegro duodecimo legimus, glandulam submaxillarem sinistram magnam vomicam pure impletam continuisse, tamen in caeteris aegrotis aut modice tantummodo tumidos, aut omnino non affectas eas invenimus. Tumore increscente, semper etiam motus maxiliae inferioris inhibentur, et saepius os omnino clauditur. Lingua muco crasso obductam cum aliis anginis commune habet. Cutis tumorem obtegens plerumque non mutatur, quamquam in aegro primo et in recidivo aegroti decimi quarti morbum inflammatione erysipelatosa ortum esse legimus.

In decursu morbi omnia symptomata ingravescunt, plerumque febriculae accedunt, et quamquam aegroti interdiu melius se habent, noctu magna anxietate, somniis inquietis vexantur, deliria, initio blanda, deinde ferocissima, et summa dyspnoea prodeunt. Nocte elapsa ob omni periculo liberati esse videntur, sub vespere vero omnia symptomata recrudescunt, et vehementius quidem, quam pridie, ut agroti in summa suffocandi periculo versentur. Morbus, qualis usque adhuc observatus est, triplicem habet exitum, primo tumor resolvitur, tum aegrotus pedetentim ab omnibus molestiis liberatur; deinde aperitur vel arte vel natura, et aegrotus aut sanitatem utique tarde recuperat, aut typho putrido moritur; denique mors suffocatoria vitam

extinguit. Resolutio tumoris in nullo aegroto sponte orta, sed semper arte, in hoc morbo potiissimum, effecta est. Ambitus et durities tumoris pedetentim imminuuntur, et aegroti, maxima anxietate cruciati, delirantes, quibus periculum suffocationis imminet, quietiores fiunt, dormiunt, large sudant, melius deglutire, pronuntiare osque aperire possunt, et saepius brevi sanitatem recuperant. Cum tumor, ante emollitus discolorque factus, sponte aperitur, quod plerumque primum in ore aut in fauce fit, sputum ichorosum, foetidissimum per os emittitur; ambitus tumoris decrescit, et aegrotus, quamquam semper fere tantummodo in breve tempus meliorem valetudinem adipiscitur. Quod foetor permagnus et sputum copiosum tam subito eduntur, id etiam inter signa propria et singularia referendum est, nam in caeteris anginis gangraenosis semper pedetentim, aut jam initio morbi existit. Plerumque nunc vires languescunt, et tumor etiam in superficie externa aperitur. Superveniunt signa putredinis universalis et aegrotus typho putrido perit. — Tumore arte aperto, aut morbus vincitur et aegrotus sanitatem, etsi tardissime recuperat, aut praecipue cum tempus aptum jam praetiit, omnia symptomata in pejus ruunt, et aegrotus, ut supra dixi, typho putrido mortem subit. In nonnullis aegrotis etiam mors suffocatoria intravit, quod profecto mirum non est, cum cogitamus, vasa magna colli et nervos summam ad vitam sustentandam vim exserentes tela cellulosa necrotica comprimi et infestari. In quatuor aegrotis, quibus hic exitus observatus est, semper accederunt spasmi tonici et clonici, et mors denique per paralysin palmonum consecuta est.

SECTIO CADAVERUM.

Sectiones cadaverum institatae in omnibus emortuis telam cellulosam, inter singulos musculos positam, in magno ambitu a maxilla inferiori et a processu mastoideo ad sternum, et in

duobus aegrotis adeo usque ad mediastina omnino emortuam et in massam pultiformem mutatam ostenderunt. Post mortem suffocatoriam, ubi signa putredinis nondum intraverant, durior et tantummodo ichore discolori putrido infiltrata erat; in cadaveribus vero signis putredinis notatis saepissime omnis tela cellulosa et ipsi musculi collares in massam nigram pultiformem foetidissimam degenerata inventa sunt. In tonsillis et uvula et palato et pharynge nunquam destructiones ulcerosae aut gangraenosae, nullae maculae cinereae, nullae escharae nullusque substantiae defectus, oesophagus nunquam correptus, in larynge et trachea semper fere rubedo inflammatoria et interdum etiam mucus exsudatus intimiae membranae adhaerens. Glandulae salivales et collares aut modice tumidae, et quo partibus degeneratis adjacebant, in superfice discolores, aut omnino non affectae; in aegroto duodecimo glandula submaxillaris sinistra magnam vomicam puris foetidi plenam continuit. Musculi collares, nisi omnino putredine dissoluti erant, ab omni tela cellulosa denudati, saepe rigidiores, quasi hepatisati, colore cerasorum acidulorum cernebantur. Ossa et cartilagines vicinae semper sanae. Mutationes vasorum sanguiferorum non notatae sunt; nervi interdum discolores apparuerunt. In pulmonibus semel magna copia ulcerum foetidissimorum, semel infiltratio serosa, semel exsudatio in cavum pleurae. Aliae mutationes non pertinent ad rem.

DIAGNOSIS.

Dr. de Ludwig 1) inter signa peculiaria haec refert:

I) Fauces ipsas exigua modo aut nulla omnino inflammatione affici.

II) Propriam in ligni aut lapidis modum duritiem tumoris.

---

1) de Ludwig l. c.

III) Tumorem durum ex nigro rubescentem aut caeruleum, annulo duro, crasso, maxillae inferiori apposito circumdatum sub lingua.

IV) Semper paulatim in majorem ambitum crescere tumorem, et margine durissimo partibus vicinis omnino sanis et mollibus circumdari.

V) Glandulas salivales et collares aut parum tantum, aut omnino nihil affici.

Quibus signis adjicere ausim: dolores exiguos, obtusos, prementes, non acutos; deglutitionem et locutionem impeditam, integris partibus hanc functionem conficientibus; os clausum, quod in anginis veris nunquam fere accidit; foetorem oris et sputorum, qui nunquam jam initio, sed tantummodo tumore rupto, tunc vero subito et vehemens observatur. Fortasse etiam adjiciendum fuerit, morbum tam periculosum exiguam tantummodo febrem secum ferre, saepius subito nocte maximam anxietatem et deliria intrare, interdiu vero omnia symptomata remittere. — Tumorem sublingualem, qui a plurimis signum valde peculiare putatur, in nonnullis aegrotis non memoratum invenimus, neque ipse eum inveni. Facile etiam intelligi potest, eum adesse non posse, cum morbus ab inferiore parte colli initium capiat, ut in aegroto duodecimo et decimo septimo. Tumor externus tunc etiam formam globosam non accipit, sed planus apparet, et partem inferiorem colli magis quam superiorem obsidet.

Causae.

Omnes medici, qui cadaverum sectiones instituerunt, consentiunt, morbum a necrosi telae cellulosae ortum petere; cum vero nonnulli eum inter morbos erysipelaceos referri velint, similitudinem inter erysipelas nostrumque morbum detegere non possum. Erysipelas est exanthema, morbus summam cutem

occupans, in nostro morbo vero summa cutis nunquam fere afficitur. In nonnullis quidem aegrotis, cutis rubore suffunditur, qui nonnisi symptomaticus est, nullum exanthema. In plurimis aegrotis refrigerium et dolores rheumatici praecesserunt, in aliis nulla causa occasionalis accusari potuit. Alii nostrum morbum cum febribus nervosis comparant, et re vera interdum simul cum morbis ejusmodi exstitit, aut eos secutus est.

DENOMINATIO MORBI.

Roesch, quia in aegro primo morbum in regione parotidea cum inflammatione erysipelatosa cutis conjunctum observavit, nomen anginae erysipelaceae parotideae ei imposuit; Hein et Schmeizer, qui historiam aegri octavi et duodecimi literis mandarunt, ei nomen metaphlogosis telae cellulosae colli tribuerunt; a Leube in aegro decimo quinto cynanche sublingualis rheumatico-typhodes, et a Heyfelder in aegro duodecimo cynanche sublingualis typhodes cognominatur; atque denique a Celeb. de Ludwig in aegroto secundo induratio telae cellulosae necrotica, quae ultima denominatio mihi aptissima videtur, quum simul nomine rem significetur. Ego hunc morbum simplicissime necrosin telae cellulosae colli nominaverim, quoniam re vera nihil aliud est. Induratio telae cellusae morbus est longe alius, et duritiem tumoris non a tela cellulosa indurata, sed a partibus hanc degenerationem tegentibus pendere, supra, ut opinor, satis perspicue ostendimus. Nomen cynanche sublingualis tantummodo morbi locum denotat, qui vero, ut ex multis aegrotis elucet, etiam alius esse potest. Nomen angina erysipelacea parotidea morbo initio attributum est, cum nondum satis bene perspiceretur. Denominatio necrosis telae cellulosae colli vero, quam quam simplicissima, neque nova, neque artificialis, naturae, decursui sedique consentire videtur; morbum aliis locis saepe observatum et optime descriptum etiam in collo oriri posse, et tunc

peculiaribus symptomatibus, peculiarique decursu uti, tantummodo monet. Tamen ne hoc quidem nomen dissertationi meae inscribere ausus sum, quippe cum metuerem ne modestiae, quae tironem decet, repugnaret.

PROGNOSIS.

Quamquam morbo, ut videtur, funestissimus exitus est, tamen prognosin certam nondum statuendam esse censeo, cum morbo justo tempore cognito, aptisque medicamentis adhibitis, nescio an ars permultum valeat. E septendecim aegrotis quidem, quorum historiae enarratae sunt, octo defuncti, et novem conservati sunt, sed methodo curandi apta a viris doctissimis atque peritissimis inventa, in posterum exitum multo meliorem fore, sperandum est. Resolutio tumoris semper maxime optanda erit; incisio nonnullos aegrotos, quamquam tardissime, conservavit, alii defuncti sunt; tumor sponte apertus semper erat funestus; tumore adhuc clauso duroque alii aegroti suffocati sunt.

CURA.

Certas indicationes rationales hoc in morbo statuere nondum convenire putaverim; ex enarratis vero morbi historiis tantum sequitur, ut initio quidem methodus modice antiphlogistica, tunc emetica, praecipue vero vehementissima irritantia externa in loco affecto adhibenda sint; nam Ludwig et Leube hac medicatione, ut infra exponam, aegrotos morti eripuerunt. Incisiones non semper exitum exoptatum habuerunt, nonnulli quidem aegroti sanitatem recuperaverunt, sed tardissime, alii vero signis putredinis universalis obierunt. Admirandum est, quod medicatio, quae naturae morbi convenire videatur, et in necrosi telae cellulosae aliarum partium jure remedium optimum laudetur, in nostris aegrotis exitum tam dubium habuerit, neque

ad morbum coercendum satis potuerit. Omnes vero medici, qui has incisiones instituerunt, tunc demum incidere ausi sunt, cum tumor emollitus sensum fluctuationis praeberet; tunc vero degeneratio semper permagnum ambitum occupavit, et ichor evacuatus aegrotum quidem per breve tempus in statum meliorem reddidit, sed paulo post omnia symptomata ruunt in pejus et homo miserabilis typhe putrido defungitur. — Atque etiam tumor durissimus telam cellulosam necroticam majoremque copiam ichoris continebit, ut supra demonstravi, et ut ex aegroto duodecimo et decimo septimo, qui tumore adhuc duro convulsionibus mortui sunt, emanat. Incisio sat magna magis initio morbi instituta aegrotum certissime brevi tempore ab omni mortis periculo liberare poterit. Neque intelligendum est, cur necrosis telae cellulosae in colo aliter quam in reliquis corporis locis tractanda sit, eximium vero effectum incisiones justo tempore hoc in morbo institutae habere, certum est. In omnibus aegrotis vero antea resolutio tumoris tentanda erit, et semper quidem emeticis irritamentisque externis aut mitioribus aut vehementioribus. Remedium optimum certissime hanc ad finem, ut in necrosi telae cellulosae aliarum partium unguentum mercuriale cinereum est. Cum vero tumor magis inflammatorius, magis dolorificus, cum inflammaione cutis erysipelatosa conjunctus sit, tunc etiam ab hoc medicamento abstinendum et tantummodo calor siccus camphoratus adhibendus erit. In tumore plerumque torpido alia irritamenta, ut linimentum volatile, simplex aut camphoratum, tinctura cantharidum aliaque unguento mercuriali cinereo addenda erunt, quibus large adhibitis resolutio saepius effici poterit. De Ludwig adhibuit cataplasmata irritantia, inunctiones olei crotonis et denique fonticulum lapide infernali effectum in tumore, atque aegrotum, tumore resoluto, servavit. Eundem exitum optatum Leube inunctione linimenti volatilis cum tinctura cantharidum et cataplasmatibus e seminibus sina-

pis et cepis paratis effecit. Illi viri peritissimi mercurialia (praecipue vero interne) adhibere noluerunt, quia irritationem glandularum salivalium timerent, sed morbus plerumque tam rapide praeterlabitur, ut ptyalismus oriri nequeat, atque etiam quaeritur, num largior excretio salivae tam nocifera sit. Cum vero his medicaminibus applicatis tumor crescat, et symptomata vehementius urgeant, tunc ab incisione tumoris etiam durissimi cum ulteriore usu inunctionum supra enarratarum multum exspectandum erit, et hac methodo multos aegrotos servari posse persuasus sum. Signis putredinis universalis ortis, medicamenta neque interna neque externa aliquid praestare poterunt, et aegrotus moritur.

Liceat mihi nunc singulas quas cognovi, morbi historias opusculo meo addere.

Aeger primus. 1)

Rusticus annorum quinquaginta angina correptus est. Deglutitione impedita, lingua muco crasso obtecta, faucibus tumidis, circa parotidem dextram usque ad sternum inflammatio cutis erysipelatosa totum ambitum lateris dextri occupans. Pulsus frequens, nec durus. Die tertio intumescentia colli, collapsa, magna puriformis copia fluidi per os ejecta est. Collum iterum intumuit, fluctuatione nulla percepta, vires aegroti languescunt. Postridie cute externa inflammata incisa, magna cavitas subcutanea apparuit, ex qua multum fluidi, ichorosi, foetidissimi profluxit. Sputum foetens et virescens ex eodem fonte emanavit. Specillum processum mastoideum, sternum et pharyngem tangere potuit. Viribus magis magisque decrescentibus, aegrotus circi-

---

1) Medizinisches Correspondenz-Blatt des Würtembergischen ärztlichen Vereins Bd. V. N. 15. Artikel: Die herrschenden Krankheiten in meinem Bezirk etc. v. Dr. Roesch in Schwenningen.

ter die duodecimo typho putrido mortuus est. Sectio cadaveris instituere non licuit.

Aeger secundus. 1)

Virgo caeterum sana, ut videbatur refrigerio praegresso, in regione glandulae submaxillaris sinistrae tumorem accepit. Die quarto, quo medicum adiit, tumor magnitudinem et formam ovi gallinacei attigit, valde durus, distincte circumscriptus, non mobilis, pressu modice dolorificus; cutis detegens non rubens, sensus communis non perturbatur. Die quinto intumescentia in majorem amplitudinem increscit, os non amplius commode aperiri potuit, et aegrota; quamquam pulsus vix febriculam indicaret, decumbere coacta est. Die sexto tumor acutis valde duris marginibus ad mentem usque progressus; rubor erysipelaceus faucium deglutitioque impedita accesserunt; partes sublinguales in ore circa marginem maxillae indurescunt, tumescunt, rubescunt; febris vehemens. Die septimo tumor valde prominens et convexus a parotide sinistra ad glandulam submaxillarem dextram, glandulis ipsis non tumentibus, a mento ad os hyoideum porrigitur, partes sublinguales in ore annulo crasso prominente durissimo circumdatae, intense rubescentes, deglutitio impedita, motus linguae maxillaeque inhibitus, febris vehementior. Usque ad diem nonum omnia symptomata invaluerunt, febris continua, somnus somniis ferocibus interruptus, subsultus tendinum aliaque signa magnum periculum indicabant; innunctione olei crotonis diebus proxime elapsis instituta exanthema in superficie tumoris exortum est. Die decimo, emesi larga provocata, et fonticulo lapide infernali ad tumorem applicato, aegrota largis sudoribus multo meliorem conditionem adepta est. Abhinc intumescentia pedetentim decrescente, aegrota sanitatem recuperavit.

1) Medizinisches Corespondenz-Blatt Bd. VI. N. 4. v. Dr. Ludwig.

Aeger tertius et quartus. 1)

In homine sano in regione parotidis sinistrae tumor durus, circumscriptus, non dolorificus, nec ruber ortus est, qui sensum communem non admodum perturbans paulatim magnitudinem ovi anserini adeptus est. Glandulae salivales, tonsillae et uvula non tumefactae, fauces non inflammatae, modica alienatio sensus communis. Die quinto deglutitione et oratione modice impedita, febricula intravit. Die sexto tumor nunc livescens sed non fluctuans a parotide ad sternum patuit, atque etiam in latere sinistro oris sub lingua partes laete rubrae, durae, tumidae, linguam e situ debito protrudentes apparuerunt. Os vix aperiri potuit, deglutitio impeditior, vox rauca, larga secretio muci ductilis. Affectiones asthmaticae accesserunt; somnus inquietus cum pavoribus somniisque ferocibus; febris continua continens. Omnia in pejus vertuntur, lingua arida fusca, somnolentia, phantasmata. Tumor semper majorem ambitum occupat; sub lingua minus durus apparet, quo loco primum, tunc etiam in superficie externa sponte apertus est, et pus gangraenosum foetidissimum ejecit. Aeger mortuus est typho putrido. Sectio cadaveris non permissa est.

Simili modo morbus in homine triginta quatuor annorum, refrigerium perpesso erupit, cum vero hirudinibus praemissis, cataplasmatibus acerrimis, tumor emollitus cultro aperiretur, aegrotus, licet tarde, sanitatem tandem recuperavit.

Aeger quintus, sextus et septimus. 2)

Historiae aegrotorum trium a Dr. Bosch non fusius enar-

---

1) Correspondenz-Blatt Bd. VI N. 5. Artikel: Zwei Fälle einer bis jetzt ohne Namen befindlichen Halskrankheit v. Bezirksarzt Dr. Theurer zu Plieningen.

2) Correspondenz-Blatt Bd. VI. N. 9. Artikel: Drei Fälle von der in No. 4 u. 5 dieses Blattes mitgetheilten Halskrankheit v. Dr. Bosch, pract. Arzte zu Braunsbach.

ratae, nihil adnotatu dignum continent; in tertio tumor in regione submentali duritie lapidea praeditus, exostosi non absimilis fuit. Tumor in duobus quidem resolutus, in tertio apertus est; omnes vero, emplastris irritantibus adhibitis, conservati sunt.

Aeger octavus. 1)

Miles, triginta duorum annorum, die quinto decimo mensis Augusti in nosocomio ob intumescentiam ex induratione telae cellulosae colli lateris sinistri receptus est. Refrigerio praegresso in regione glandulae submaxillaris tumor durus, calidus ortus erat, nunc vero jam totum latus sinistrum colli occupaverat. Os tantummodo magno opere aperiri potuit, deglutitio jam ab initio morbi impedita, partes oris, quae inspici potuerunt, non rubrae, nec tumidae. Respiratio libera, nulla febris. Diebus proximis tumor majorem ambitum occupavit, et pulsus major, et respiratio difficilis venae sectionem requisivit, praeterea duodecim hirudines applicatae sunt. Die vigesimo Augusti propter anxietatem et erethismum vasorum auctum vena iterum bis secta est. Deinde post biduum tumor cataplasmatibus emollitus et incisione apertus, magnam quantitatem puris putridi maligni emisit, sed aegrotus non levatus est, imo vero motus capitis et facultas deglutiendi omnino sublata est, ita ut diebus ultimis omnino nihil deglutire posset. Deliriis murmurantibus, sudoribus frigidis, sphacelo progresso, et tumore et in pharynge et cute sponte aperto, aegrotus blandis deliriis suffocatus est. — Sectio cadaveris omnes musculos ossis hyoidis et laryngis a mente usque ad sternum sphacelo deletos, et in massam foetidissimam pultifermem mutatos, ostendit; membranam mucosam

---

1) Correspondenz-Blatt Bd. VI. N. 10. Artikel: Zur Geschichte der Metaphlogose des Zellgewebes am Halse v. Prof. Dr. Heim in Ludwisburg.

laryngis et tracheae nigriscentem, subrubram; praeterea nihil notatu dignum.

Aeger nonus, decimus et undecimus. 1)

Puella, undecima annorum, refrigerio exposita, tumore ad parotidem sinistram duro, non dolorifico, nec rubro nec calido correpta est, quem initio morbi, cum caeterum sana esset, omnino neglexit. Die quarto tumore aucto febris intravit, quapropter medicus die quinto advocatus est. Die sexto tumor convexus quamquam pridie emeticum et hirudines adhibit erant, majorem ambitum attigit, aegrota per noctem non dormivit, et valde inquieta facta est. Die septimo omnia pejora, tumor fere claviculum adtigit. Sub lingua, muco crasso obtecta, intumescentia dura apparuit caerulea, illam loco suo movens deglutitionem et locutionem impediens. Os adhuc aperire potuit, temulentia capitis. Die octavo tumor adhuc durus totum latus colli occupavit, os fere clausum, deglutitio impedita motusque linguae cohibitus, vox rauca. Die nono aegrota eodem statu versatur. Die decimo aegrota aliquantulo melius valet, sed cutis externa vesicatoriis aliisque remediis irritantibus inflammata valde dolet, tumor minor factus est. Die undecimo praeter molestias cutis inflammatae exulceratae omnia multo meliora sese habuerunt et tribus hebdomadibus interjectis aegrota sanitatem omnino adepta est.

Alius aegrotus eodem morbo affectus, iisdem remediis sanatus, nihil notatu dignum praebuit. Tertium aegrotum infantem, brevi ante mortem suffocatoriam vidit, nullaque medicatio tentata est. Sectio cadaveris non admissa est.

---

1) Correspondenz-Blatt B. VI. N. 15. Artikel: Beiträge zu der in N. 4 dieser Zeitschrift mitgetheilten Halskrankeit. Von Dr. Hoering, praktischen Arzt und Oberamts-Wundarzt in Mergentheim.

Aeger duodecimus, decimus tertius et decimus quartus. 1)

Miles viginti annorum, e typho abdominali reconvalescens, die decimo quarto Junii tumore durissimo, non mobili, calido, nec rubro, nec dolorifico in regione laryngis correptus est. Os bene adhuc aperire potuit, et pharynx ceteraeque oris partes nihil praeter naturam ostenderunt. Sensus communis nondum perturbatus. Proximo die tumor majorem et amplitudinem et duritiem assecutus, deglutitionem sine magno dolore impedivit. Die decimo saxto Junii tumor totum collum obsedit. Decimo septimo Junii vox rauca, qualis in angina membranacea. Decimo octavo Junii paene ut heri, pulsus vero multo frequentior, facies tumida, oculi prominentes, lingua humida, muco flavo obtecta, sensorium liberum. Intumescentia nullam fluctuationem ostendit, et eodem fere statu versatur. Sub vespere aegrotus subito inquietus factus est, conscientiam amisit, convulsiones epilepticae intraverunt, quas spasmi tonici tetanici secuti sunt. Hora una elapsa mens iterum rediit, aegrotus melius deglutire potuit, tumor magis elasticus apparuit. Hora nona novus insultus ortus est, et abhinc spasmi aegrotum continuo usque ad mortem, media nocte diei quinti a nova aegrotatione, intrantem vexaverunt. Sectio cadaveris die sequente instituta est. Tumor eandem fere duritiem etiam post mortem obtinuit. Cuti et musculo subcutaneo colli induratis remotis, tela cellulosa intermuscularis partim indurata partim in massam pultiformem caeruleo-virescentem mutata conspiciebatur, ad utrumque latus tracheae et oesophagi, et in musculo longo colli major copia puris ichorosi, glandula submaxillaris sinistra valde tumida, pus virescens

---

1) Correspondenz-Blatt B. VI. N. 17. Artikel: Drei Fälle von Zellgewebs-Metaphlogose am Halse, vom Regimentsarzt Dr. Schmetzer in Heilbronn.

foetidum in vomica continuit, nonnulli musculi ossis hyoidei ex rubro subnigri, sordidi, maculis nigris obtecti, vasa et nervi colli hac degeneratione telae cellulosae valde compressa erant. Sterno remoto, etiam hic tela cellulosa quamquam non admodum destructa, massa tamen quadam gelatinosa penetrata erat. In cavo thoracis nullum pleurae effusum, pulmones colore integri, sinister vix crepitans, magna quantitate seri effusi impletus, in bronchiis nihil praeter naturam, trachea et larynx ex rubro subnigra.

Vir annorum quinquaginta quatuor, trigesimo primo Julii febre gastrica correptus est, die sequente faucibus paululum rubentibus etiam dolorem modicum in deglutiendo questus est. Decimo tertio Augusti, sanitate fere recuperata, aegrotus refrigerio expositus est, quo subito majores dolores colli, vox rauca et sensus lassitudinis, tamen neque interne, neque externe aliquid praeter naturam cognosci potuit. Nocte sequente tumore in collo anteriore, deglutitionem fere omnino impediente, orto, deliria eaque ferocia intraverunt. Die decimo octavo mensis Augusti tumor durus totum ambitum colli occupavit, aegrotus, ore fere omnino clauso, strangulato non absimilis, magno suffocationis periculo respiravit. Diebus proximis aegrotus etiam interdiu eodem statu periculoso versatus est. Die vigesimo quarto Augusti tumor, antea inunctione unguenti hydrarg. ciner. et cataplasmatibus emollitus, cultro infra cartilaginem thyreoideam apertus magnam puris ichorosi cinero-virescentis foetidissimi copiam emisit. Telam cellulosam profundiorem etiam emortuam, musculos enudatos, cutemque partibus vicinis non amplius conjunctam esse, specillo bene explorari potuit. Aegrotus quidem servatus est, sed tarde demum sanitatem recuperavit.

Etiam in infante sex mensium hic morbus observatus est. Tumor durus, calidus, non discolor in latere sinistro colli ortus, aegrotum valde vexans, cataplasmatibus emollitus, sponte in superficie externa apertus, magnam copiam puris viride-flaves-

centis, foetentis emisit, quo status periculosus ita in meliorem mutatus est, ut post aliquod temporis sanitas restituta esse videretur. Sed non multo post novus tumor cum inflammatione erysipelatosa cutis conjunctus evasit, qui die quarto convulsionibus et trismo vitae finem adduxit. Sectio cadaveris non instituta est.

Aeger decimus quintus. 1)

Puella viginti octo annorum, sensu lassitudinis doloribusque rheumaticis praegressis deglutitionem dolorificam sensumque quendam, quasi parulis oriretur, in collo questa est, tamen, rubedine modica faucium excepta, neque interne, neque externe quidquam contra naturam observari potuit. Octavo die per noctem somniis inquietis vexata male dormivit. In regione submentali colli, tumor magnitudine ovi gallinacei, non discolor, nec calidus, nec dolorificus, durus ortus est, os non bene aperiri et lingua, etsi non tumida, non bene protendi potuit; in ore circa marginem maxillae inferioris annulus crassus, durus, lividus, non dolorificus, nec calidus apparuit. Deglutitio sine magno dolore impedita, locutio non distincta. Per diem febris mitior exstitit, sub vespere vero exacerbatione intrante omnia symptomata, quae vomitus spontaneus tantummodo per breve tempus mitigare potuit, increverunt; post mediam noctem valde inquieta sese jactavit, facie rubra, corpore ardente deliravit. Die nono mane febris exquisitam remissionem effecit, tumor, quamquam majorem ambitum occupaverat, tamen non amplius tam distincte circumscriptus erat; cutis obtegens eadem duritie sine ullo dolore, medicamentis irritantibus heri appositis, minus torpida videbatur; annulus crassus sub lingua minus durus.

1) Correspondenz-Blatt Bd. VI N. 22. Artikel: Beobachtung einer Cynanche sublingualis rheumatico-typhodes von Dr. Leube in Tübingen.

Post meridiem jam iterum nova exacerbatio intravit, et omnia symptomata vehementiora reddita sunt. Deglutitio omnino suppressa, rhonchus mucosus in trachea, vomituritiones et conatus ructandi, tussiendi, similiumque attentationum, quibus mucus copiosus eliminari potuisset. Quibus symptomatibus ardor, angustia, anxietas et sub nocte etiam deliria iterum intraverunt. Die decimo acerrimis per noctem adhibitis cataplasmatibus mane aegrota quietior facta, per breve tempus dormivit. Tumor colli minus durus, minus convexus, paululum pressu dolorificus, cutis eum obtegens ruberrima. Aegrota liberius respiravit, planius pronuntiavit, melius deglutivit. Cutis antea sicca, humida facta est, pulsus mollior, minus frequens. Post meridiem sudor largus, valde levans. Die undecimo tumore multo minore emollito omnia symptomata valde sunt in melius mutata, et post meridiem aegrota subito ab omnibus molestiis liberata est, tumor omnino mollis, vix amplius percipiendus, quamquam eruptio neque interna neque externa detegi potuit. Die decimo sexto sanitatem omnino recuperaverat.

Aeger decimus sextus. 1)

Vir annorum triginta septem, saepius in itinere refrigerio expositus, magna lassitudine praegressa, die trigesimo mensis Augusti doloribus rheumaticis febrilibus artuum simulque dolore colli correptus est. Die sequente ad glandulam submaxillarem dextram tumor magnitudine ovi anatis, durus, pressu non dolens, ortus est. Deglutitio paululum impedita, tonsillae non inflammatae, nec tumidae, pharynx vix rubra, lingua humida, in media parte muco obtecta, cutis sicca, alvus cohibita, urina parca, temulentia capitis. Die primo Septembris tumor in multo

---

1) Studien im Gebiete der Heilkunde von Dr. Heyfelder. Stuttgart 1838, p. 237—247.

majorem molem increscens, non mobilis, valde durus, pressu non dolens, cutis obtegens non discolor, nec tensa. Os nonnisi moleste aperiri et lingua ad pharyngem pressa, crasso muco obtecta vix porrigi potest; deglutitio et locutio non dolorifica, sed impedita; partes posteriores oris inspici nequeunt; sub lingua tumor durus, rubicundus, annulo crasso, indurato maxillae inferiori apposito circumdatus; magna sitis, exigua ciborum appetentia, color ictericus oculorum, pulsus modice frequens, neque durus, neque mollis, magna prostratio virium. Die secundo Septembris res non multum mutatae sunt. Terto Septembris major lassitudo, agrypnia, sapor ingratissimus, mucus copiosus in collo, vomitus spontaneus levaminis aliquid afferens. Quarto Septembris magna prostratio virium, tumor eadem duritie, multo majorem ambitum assecutus, cutis non tensa, non discolor, deglutitio omnino impedita, os nonnisi nonnullas lineas aperiri potest, pulsus valde frequens, mollis, cutis humida, viscida, respiratio superficialis, frequens. Sub vespere tumor nonnullis locis minus durus, magis fracidus apparuit. Per noctem aegrotus valde inquietus factus deliravit, luce appropinquante mitigatus est. Quinto Septembris tumor nonnullis locis magis sinuosis quam prominentibus emollitus, pressu crepitans; cutis obtegens non mutata. Deglutitio minus impedita, os amplius operiri potuit, tumor sublingualis minus durus. Nihilominus aegrotus pejus se habuit, magna debilitas, pulsus mollis, valde frequens, urina jumentosa, cutis sudore subfrigido, viscido suffusa, respiratio superficialis, frequens. Inciso tumore, magna copia ichoris cinereo-rubescentis, foetidissimi profluxit, deglutitio et pronuntiatio melius processerunt. Nocte insequente inquies, deliria. Die sexto Septembris magna sinuositas cutis diffinditur, quo iterum magna copia ichoris, tela cellulosa necrotica mixti, evacuatur. Vespere pulsus melior evadere, dieque sequente lingua antea sicca et fusca humescere videbatur. Paulo post sudor

copiosus, mox iterum evanescens, exortus est, tunc magna dyspnoea, dolorifica. Abhinc deliria perpetua, respiratio frequentissima, abdominalis, pulsus filiformis, secessus inscius, foetidissimus, retentio urinae. Septimo Septembris status paralyticus generalis, in abdomine tenso maculae lividae, quae die sequente majorem ambitum occupaverant, etiamque in scroto et in pene apparuerunt. Nono Septembris post meridiem mors. — In sectione cadaveris, horis viginti quatuor elapsis, instituta omnis tela cellulosa, inter musculos colli posita, emortua atque in massam nigrescentem, pure ichoroso, fusco, foetido infiltratam mutata reperta est. Glandulae salivales in superficie externa illi maxime adjacente lividae, intus sanae se habuerunt. Nervus vagus et recurrens, quo in hac degeneratione siti erant, sordide rubescentes, musculi collares colore hepatis, praeterea non mutati. Membrana mucosa oris, pharyngis et nasi solito crassior, laxa; paries internus laryngis et trachea muco immundo adhaerente obductus, pars anterior pulmonum integra; in parte posteriore vero, in superficie et in parenchymate multa ulcera puris ichorisque foetidi plena; in cavo pleurae nulla effusio Praeterea nil notatu dignum.

Aeger decimus septimus 1).

H. S., textor lintearius, tunc temporis vero miles, viginti duos annos natus, constitutione scrophulosa, facie pallida, tumente, corpore robusto atque non male formato, infans et puer saepius laboravit affectionibus scrophulosis, praecipue cutis, glandularum colli atque oculorum, quarum vistigia adhuc macula corneae oculi sinistri cum duobus cicatricibus in collo et in nucha supersunt. Praeterea nunquam se aegrotasse meminit, usque dum ante annum et dimidium graviore morbo pectoris inflammatorio correptus est, ex quo respiratio non omnino libera remansit. Ex anno dimidio stipendia meruit in legione

1) ab auctore observatus.

decima tertia, exercitationes militum bene perferens. Ante dies quinque tamen permagnum refrigerium, ut saepius accidit apud milites, passus est, horruit caluitque per vices, atque post nonnullas horas dolorem obtusum in media parte colli sensit. Die sequente sensus dolorificus, quamquam majores molestias non attulit, non cessavit. Die tertio duritiem quandam et rigorem in collo percepit, doloribus non auctis bene pronuntiare et deglutire potuit; itaque morbum parvi aestimavit, atque exercitationibus militaribus interfuit. Die quarto durities et rigor colli valde adauctus est, cum vero nulli dolores vehementiores aegrotum vexarent, etiam hodie exercitationibus interfuit. Vespere bibit cerevisiam calidam, ut sudore morbum depelleret. Noctem vero non bene peregit, non dormivit, atque inquietus factus est. Quapropter die quinto aegrotum se nuntiavit. Chirurgus militaris advocatus pulsum fere secundum naturam, calorem non auctum, cutem humidam, faciem pallentem, luridam, quasi adipe perunctam invenit. Os aegrotus non commode aperire potuit, lingua tumefacta, muco crasso, flavescente obtecta, tonsillae et quae partes pharyngis inspici potuerunt, vix rubrae; collum tumefactum, admodum durum, rigens; respiratio non impedita, excretio alvi normalis. Aegrotus questus est de dolore capitis in regione frontis, de dolore obtuso, non vehementi in media parte colli, de rigore et motione impedita in loco affecto; bene deglutire potuit, atque tussis voluntate mota dolores non admodum auxit. Praeterea morositos, lassitudo artuum. Chirurgus aegrotum quidem in nosocomium mitti jussit, sed ejus precibus commotus, per unum adhuc diem exspectare et tentare voluit, num forsan, praesertim cum neque in febre, neque in inflammatione periculum inesse videretur, aptis remediis cito propinatis morbum coercere atque sanitatem restituere liceat. Detractione sanguinis, neque pulsu, neque ullo inflammationis vehementioris symptomate requisita, non opus

erat. Emeticum igitur aegroto propinatum est, quo magnam pituitae ductilis copiam evomuit. Brevi post melius se habuit, per horam unam et dimidiam dormivit, et cura instituta valde contentus erat. Accepit nunc mixturam e sale ammoniaco cum grano uno tartari emetici, atque ad usum externum linimentum volatile. Vespere intrante aegrotus iterum inquietus factus est, per noctem non dormivit, magna anxietate cruciatus saepius surrexit, atque amiculo tantummodo tectus ante portam ambulavit. Matutino melius quidem valuit, sed ita fatigatus, ut se in nosocomium recipi ipse optaret. Se portari, quia adhuc satis potens esset, negavit, et via, non brevissima pedestre facta, advenit in nosocomium intentionibus valde fatigatus. Post aliquod temporis recreatus, haec symptomata praebuit. Pulsus frequentiam fere centum ictuum in sexagesima horae parte habuit, vix magnus et plenus, omnino mollis; calor non auctus et cutis humescens; facies pallida, lurida, ut jam supra est dictum, quasi adipe inuncta, et leucophlegmatice tumefacta; oculi aquosi, non splendentes, et palpebrae pituita indurata obtectae. Os, magna quantitate pituitae ductilis expletum, vix nonnullas lineas aperiri potuit, lingua valde tumefacta, muco crasso, luride flavescente obtecta, in margine impressiones dentium. Posteriores partes oris, tonsillae et pharynx omnino non conspici potuerunt. Exhalatio oris spargit quidem odorem ingratum, sed anginis vulgaribus et morbis gastricis non inconsuetum. Collum omnino rigens, valde tumefactum atque admirabili lignea aut lapidea duritie, nullo loco molle, non discolor, calor ejus non auctus; dolores obtusi prementes, non acuti, non pungentes, premente digito non admodum aucti. Deglutitio quidem non libere procedit, sed majore contentione aegrotus omnia sine vehementiore dolore deglutire potuit; pronuntiare quoque aegrotus satis bene potuit, quamquam singula verba propter magnam oris tumorem non distincte audienda erant. Respiratio

non impedita, thorax bene extenditur, et profunda inspiratio neque in collo, neque in thorace dolores efficit. Abdomen secundum naturam, neque tensum neque dolorificum. Excretio alvi non praeternaturalis adfuit. Aegrotus questus est, se jam perplures dies omni appetentia caruisse, per noctes non dormisse, et tunc, praecipue vero nocte proxime elapsa, magna anxietate cruciatum esse. Mane et etiam hodie multo melius se habere, quamquam dolor et temulentia capitis permagna esset; in collo et in faucibus quidem vehementioribus doloribus se non vexari, sed rigor et immobilitas tanta esset, ut collum fere omnino non flectére posset; sensus quidam strangulationis cum dolore obtuso, premente conjunctus interdum, praecipue nocte tam vehemens esset, ut vix eum perferre potuisset et surgere atque in aëre frigido, puro ambulare coactus esset. Symptomatibus inflammationis vehementioris aut febris inflammatorii non apparentibus, etiam hodie detractio sanguinis neque universalis neque localis est instituta. Propinatum est aegroto emeticum e rad. ipecac. ℈j cum tart. stibiat. Gr:j, quod medicamentum emesi non intrante paulo póst reiteratum est. Sed effectus exoptatus etiam nunc nondum intravit, et novam dosin propinare non aptum visum est, cum effectus, natura semel non permittente, dubitandus, et ne postea nimia diarrhoea vires aegroti effringens oriretur, valde timendum esset. Aegrotus praeterea per ceteram diei partem mixturam e sale ammoniaco cum grano uno tartari emetici constantem sumsit, et linimentum constans e linimento volatili et unguento mercuriali cinereo aa in collum intrivit. Vespere adveniente aegrotus urinam misit flavescentem, turbidam, nihil fere indicantem; alvum sponte deposuit, quem ad finem surrexit, et vestibus indutus locum solitum petivit. Frequentia pulsuum ad centum in sexagesima horae parte aucta est, ictus minor, fere vacuus, mollis. Praeterea nulla mutatio in aegroto observari potuit. Nocte iterum valde inquietus factus

est, maxima anxietate cruciatus se nudavit, nudus surrexit e lecto, atque conclave relinquere studuit; a custodibus nocturnis vero impeditus, et ad lectum reductus, precibus, pollicionibus et denique vi se liberare studuit. Quibus omnibus frustra tentatis furibundus factus, et vinculis alligatus est. Post aliquot temporis spasmi orti sunt, primum convulsiones extremitatum, tunc spasmi tonici musculorum maxillae inferioris, colli et nuchae. Aegrotus tunc quietus, conscientia abolita, oculis contortis, ore clauso, collo rigido, sudore viscido obtectus, nullis quaestionibus respondens, respiratiore difficillima, frequente, stertorosa, pulsu valde frequente, parvo, vacuo, molli, vix numerando, moribundo non absimilis jacuit in lecto. Applicati sunt sinapismi ad sura, ad femora et ad brachia, atque pedetentim hic status periculosus emendari coepit. Primum status somnolentus, tunc somnus verus ortus est. Respiratio quidem liberior factus est, sed stertor cedere noluit, et aegrotus sputa tussiendo bene evacuare non potuit; etiam pulsus iterum expeditior apparuit, sed multo pejus quam heri. Aegrotus circa horam octavam matutinam evigilans de anxietate et de suffocationis ac strangulationis sensu noctis elapsae valde questus est; post somnum se multo emendatum esse, sed tantas molestias non iterum perferre posse affirmavit. Post horam dimidiam ad alvum deponendam sponte surrexit, auxilium alienum repudians, eodem modo etiam ad lectum rediit; sed non multo post spasmi subito iterum exorti sunt, atque cito advocatus aegrotum spuma in labiis coeruleis, contortis oculis, spiritum ultimum ducentem et morientem inveni.

Sectio cadaveris horis viginti quatuor elapsis instituta est. Etiam post mortem eadem durities idemque rigor musculorum colli maxillaeque inferioris apparuit. Cutis dissecta et remota erat sana et normalis, musculus latissimus colli vero tensus, valde durus, colorem cerasorum acidorum aemulans. Tela cel-

lulosa utroque latere tracheae a regione ossis hyoidei usque ad sternum et claviculam mutata in massam pultiformem, ichorosam, partibus singulis praecipue superficialibus durioribus commixtam, sparsit odorem valde foetentem, colore sordido, viride flavescente; omnes musculi colli tela cellulosa nudati, indurati, rigentes, colorem cerasorum acidorum aemulantes; magna vasa et nervi hac massa degenerata, hic densiore, quam ut abstergi posset, involuta, non inflammata, sed etiam colorem nativum non praebentia, quod vero demum post mortem putrescentia partium vicinarum ortum esse videbatur. Degeneratio maximum ambitum circa glandulam thyreoideam, quae praecipue in latere interno tumefacta et discolor apparuit, occupaverat, et hic etiam in musculo longo colli et vertebris colli cum degeneratione alterius lateris communicavit. Ascendit nunc illa destructio necrotica cum vasibus usque ad eorum ramificationem, comitata est oesophagum et porrexit, pedetentim ambitum minorem occupans, in ambobus musculis longis colli fere usque ad basin ossis occipitis. Nullo loco morbum ossium invenimus, regio submentalis et sublingualis non correpta erat. Cum tela cellulosa emortua in regione sterni nondum terminata esse videretur, nunc quam cautissime, ut pleuram non laederemus, thoracem aperuimus. Remoto sterno cartilaginibusque costarum in mediastino antico eadem degeneratio usque ad pericardium porrectam invenimus. Partes vicinae praecipue pleura non inflammatae, sed crassiores et luridae. Qua massa pultiformi remota, aperuimus saccos pleurae. Paries anterior pulmonum sanus, bene coloratus, crepitans, multis praecipue ad latus filamentis pleurae accretus, paries posterior pulmonum magna quantitate sanguinis coaliti infarctus, vix crepitans, sed non solito durior, incisione e majoribus bronchiorum ramis sanies sordide rubescens effluxit. In incisionibus interlobularibus oedema pulmonum apparuit. Sacci pleurae majorem quantita-

tem liquoris limpidi, ichorosi, luride rubescentis continebant, pleura ipsa, remotis pulmonibus, nullo loco ichore perforata, multis locis ramificationes vasorum rubrae, sed nullo loco rubedinem punctatam, in regione mediastinorum discolor, cinereo flavescens, solito crassior. Corde normali remoto, etiam in mediastino postico eandem degenerationem oesophagum comitantem, et usque ad diaphragma porrectam invenimus. Larynx et trachea aperta rubedo caerulea, sed nullo loco exsudatum densius apparuit. Pharynx muco cinereo, flavescente, crasso obtecta, nullam rubedinem, nullas escharas, nullum sphacelum praebuit. Oesophagus dissectus in tota superficie sanus apparuit. In abdomine nihil praeter naturam invenimus. Cranio resecto, vasa sanguifera durae et piae matris majore quantitate sanguinis repleta apparuerunt, ventriculi laterates solito plus liquoris continuerunt.

VITA.

Ego Carolus Ludovicus Ferdinandus Buettner natus sum Javoriae, oppido Silesiae, die XVI m. Augusti anni MDCCCIX, patre Friderico Buettner, matre Christiana e gente Boehm, quos mortuos parentes valde lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis patria in urbe instructus, Gymnasium St. Mariae Magdalenae Vratislaviense per septem annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus anno MDCCCXXXII studiosus medicinae Universitatis Viadrinae adscriptus, per duos annos iis, qnas infra enumerabo, lectionibus interfui. Tum Berolinum me contuli, ibique civis academiae militaris medico-chirurgicae per annum unum studio artis medicae operam dedi. Deinde examine feliciter superato, munus chirurgi militaris inferioris in legione XIII accepi, et Monasteriam missus, simul scholis academiae medico-chirurgicae Monasteriensis per annum unum interfui, Quo munere per annos quatuor functus, revocatus sum Berolinum ad institutum Friderico-Guilelmianum medico-chirurgicum, ut studia mea ad finem perducerem.

Hos vero audivi praeceptores illustrissimos et celeberrimos:

Ill. Thilo de logice. Ill. Braniss de psychologia, Ill. Gravenhorst de Zoologia. Ill. Henschel de botanice. Ill. Pohl de physice. Cel. Schubarth de chemia. Cel. Turte de pharmacia. Ill. Otto de anatomia. Cel. Eck de physiologia. Cel. Seidel de materia medica. Cel. Klose de pathologia generali. Beat. Fr. Hufeland de pathologia et therapia. Ill. Juengken de chirurgia. Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de chirurgia generali, de fracturis et luxationibus, de arte obstetricia. Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi, de medicina forensi. Exercitationibus clinicis interfui: medicis Ill. Turtual, Cel. Wolff, Ill. de Graefe, Ill. Wagner.

THESES.

1. In operatione radicali hydroceles injectiones incisionibus praeferendae sunt.
2. Cura nimis antiphlogistica in inflammationibus rheumaticis fugienda est.
3. Exulcerationes intestinorum in febribus nervosis pro symptomaticis habendae sunt.
4. Angina sublingualis typhodes apud Heyfelder, est necrosis telae cellulosae intermuscularis colli.